



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio VII. Vtrum relatio secundum formalem rationem relationis dicat
perfectionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

quia non sunt distinctæ, aut cum sint, solum absolute concipiuntur in ordine ad aliud, & talis comparatio est opus rationis; primam igitur comparationem includunt in suo conceptu relationes reales, aliam vero relationes rationis, & ideo prima comparatio tanquam realis pertinet ad hoc prædicamentum, secunda vero tanquam non realis excluditur ab eo.

66 Ad argumenta secunda sententiæ patet ex dictis *subsect. ultima* in probatione nostræ conclusionis contra Caietanum, unde respondeo, Ad relationis realis, & Ad relationis rationis non convenire inter se vere, sed fictitie, & per rationem; ac proinde nihil vere commune dari utrique; ratione cuius nihil potest abstrahi ab utroque Ad. Unde falsum est dicere, quod in probatione antecedentis docent adversarij, videlicet ita esse ad aliud relationem generis, sicut relationem paternitatis, nam relatio generis non est vere, & proprie ad aliud; sed fictitie, relatio autem patris est vere, & proprie ad terminum genitum, & sic nulla datur similitudo vera in hoc modo referendi.

67 Ad secundum concedo maiorem quoad primam partem; nam Ad ut Ad, ponit aliquid in fundamento, quod refert, quia non posset referre illud, si non esset intrinsece in illo; unde ad probationem concedo Antecedens, & consequens, & nego minorem illam ultimam ut patet ex dictis, & magis liquebit ex dicendis.

QVÆSTIO VII.

Utrum relatio secundum formalem rationem relationis dicat perfectionem?

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

PRIMA sententia asserit, relationem realem nullam dicere perfectionem in suo conceptu formali, ita multi ex Thomistis. Probatur primo, quia si relatio quatenus relatio est, diceret perfectionem, sequeretur, quod in divinis una persona diceret perfectionem distinctam à parte rei ab ea, quam alia dicit; sed hoc est absurdum: ergo relatio, ut relatio nullam dicit perfectionem: maior sic probatur, quia una persona constituitur relatione reali, per quam non constituitur alia; sed per vos relatio est perfectio: ergo una persona habet perfectionem quam non habet alia: minor illa sic probatur, quia unaquæque persona est infinite perfecta: ergo habet omnem perfectionem in se; hoc enim sonat esse infinite perfectam; sed si una persona non haberet perfectionem, quam dicit alia, talis persona non diceret omnem perfectionem, cum non haberet illam, de qua agimus: ergo non esset infinite perfecta quod est falsissimum.

2 Confirmatur, quia ex opposita sententia sequeretur, unam personam divinam v. g. Patrem non esse perfectam, quia teste Aristotele 1. *physic. cap. 3. & 5. met. cap. 16.* perfectum est, extra quod nihil est, hoc est, cui nihil deest; quare si

Patri æterno deest aliqua divina perfectio, non erit perfectus; sed filiatio est divina perfectio distincta à paternitate: ergo cum Patri deest filiatio, deest ei aliqua divina perfectio, & erit Deus imperfectus.

Ultimo, quia perfectio rei est integritas absoluta, & realis; sed relatio, ut relatio neque est absoluta, nec realis: ergo non dicit perfectionem.

SECTIO II.

Nostra conclusio ponitur, & probatur.

Conclusio; relatio realis prædicamentalis dicit bonitatem, & perfectionem, & probatur.

Primo ex Scriptura Sacra, nam *Genes. 1. dicitur*; vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona; sed Deus fecit relationes reales prædicamentales existentes in Angelis, quibus respiciunt Deum, & per quas ad invicem ordinantur: Deus enim immediate per se ipsum producit, vel per se solum, vel simul cum creaturis omnem creaturam, quia omnis creatura est ens secundum, & participatum, ac proinde dependens à Deo; atqui relationes reales prædicamentales secundum ultimum sui sunt creaturæ: ergo producuntur, & sunt omnes à Deo: ergo omnes relationes sunt valde bonæ, hoc est in sua ratione sunt perfectæ, alias quomodo verificaretur locus supradictus *Genesis*, vidit Deus omnia, quæ fecit, &c.

Hoc ipsum colligitur ex Doctoribus Ecclesiæ, nam D. August. *lib. 83. questionum, quest. 24.* omnia, quod est, inquit, in quantum est bonum est, & *lib. 1. de doctrin. christ. cap. 32.* cum dixisset, Deum esse, qui summe est, ait; at cætera, quæ sunt nisi ab illo esse non possunt, & in tantum bona sunt, in quantum esse ab eo acceperunt, ut sunt, & *lib. 3. de libero arbitrio, cap. 15.* dixit: quidquid est, sicut esse debet, bonum est, & Boetius *lib. 2. de hebdomadis, cap. 2.* quicquid est inquit, in eo, quod est, bonum est; elegantius Nazianzenus: quomodo, inquit, non bonum, quod à fonte bonitatis profluit, Deus enim plenitudo bonitatis, omnia bona, etiam minutissima perpetravit.

Quæ omnia prius asseruerat Aristoteles *lib. 1. 7. Ethic. cap. 6.* dicens, bonum æque dividi, ac ens, & per omnia prædicamenta vagari, & expressius dicit; bonum, & in substantia dicitur, & in quanto, & in quali, & in eo, quod est ad aliquid, ubi D. Thomas, bonum converti cum ente ait, quod in decem prædicamenta dividitur.

Ex quibus omnibus sic argumentor: secundum mentem, & verba Doctorum constat, omnem ens esse bonum; sed relatio realis creata est verum ens reale: ergo est bonum quod est perfectum. Deinde Aristoteles ait, bonum esse in eo, quod est ad aliquid; sed id, quod est ad aliquid, est relatio: ergo in relatione est bonitas, seu perfectio.

SYBSECTIO

SUBSECTIO I.

Rationibus probatur nostra sententia.

9 Primo, quia omnis entitas creata, cui nihil deficit, ex sua integritate, & complemento, & est opus perfectissimi artificis est perfecta, & bona; sed relatio secundum quod relatio est, & quantum existit à parte rei est entitas, cui nihil deficit ex proprio complemento, & integritate, & est opus Dei perfectissimi Artificis: ergo est bona, & perfecta entitas; maior est certa, quia nihil est bonum, & perfectum, nisi quod ex integra parte est tale; ideo homo dicitur perfectus in ratione hominis, & qualitas dicitur bona, & perfecta, quia nihil deficit ex ijs, quæ pertinent ad complementum, & integritatem illorum: ergo illa entitas dicitur perfecta, cui nihil deficit ad proprium complementum, & integritatem; unde ut ait D. Dionis. bonum est ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu, id est bonum, & perfectum est, quod ex omni parte integrum est, & nihil deficit ad talem integritatem, & complementum. Secunda pars illius maioris est clara, quia opus perfectissimi artificis debet secundum exigentiam propriam proprium conceptum, & capacitatem assimilari artificis: ergo si perfectus est artifex, perfectum debet esse opus quantum rei natura exigit, præcipue si sapientissime, & data opera fiat ab illo. Minor prima, & præcipua patet quoad secundam partem; quia omne ens creatum est opus Dei perfectissimi artificis; sed relatio est ens creatum participatum, & productum à Deo: ergo est opus Dei perfectissimi artificis. Prima pars illius minoris sic probatur, quia cui nullum prædicatum essentiale & existentielle deficit, nihil deficit, quod pertinet ad complementum, & integritatem illius, sed relationi nullum prædicatum essentiale deficit, quia omnia identificantur inter se, unde aut omnia debent deficere aut nullum, & idem est de existentia, quia existentia relationis est indivisibilis, & simplex quia est existentia relationis quæ simplex, & indivisibilis entitas est; sed id, quod indivisibile est, aut totum datur, aut nihil: ergo in relatione existente nihil existentie deficit, quia tota, & adæquata essentia relationis actuata per existentiam existit à parte rei, aliàs aliquid essentia relationis esset in statu pure possibilitatis, & aliquid in statu actualitatis, & existentia; quod est impossibile, in existentia simplici, ut dixi, & carente partibus. Item non deficit aliquid inhærentie, seu vnionis ad subiectum, siquidem tota entitas relationis vnita manet proprio fundamento, neque aliquid relationis manet inuinitum quod est impossibile, tum quia relatio est modus, & modus nec diuinitus potest esse separatus à subiecto; tum etiam quia licet esset res naturaliter quando est accidentis, non potest esse separata à subiecto, ut videre est in accidentibus Eucharistiæ, quæ solum supernaturaliter, & per miraculum diuina manent à subiecto.

10 Ergo nihil deficit relationi ex ijs, quæ pertinent ad adæquatam integritatem relationis, & complementum illius, quia in relatione triplex tantum est formalitas complens, & constituens relationem, prima essentialis, secunda existentialis, tertia, quæ ad hanc sequitur, quæ est inhærentia.

R.P. Iudeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

tia (præter has autem nihil reperitur, quod integret relationem, & constituat illam in statu completo, suæque naturæ proportionato) sed ex his nulla deficit in relatione: ergo nihil deficit, quod pertineat ad complementum, integritatem, & perfectionem relationis.

Vegetur, ac declaratur amplius: Nam inter Theologos quæritur, & interrogatur, vtrum Angelus potuerit peccare in primo instanti suæ creationis: & Thomistæ adhuc de potentia Dei absoluta negant, potuisse peccare, & reliqui dicunt naturaliter, & de facto non peccasse, & reddunt rationem, quia cum Angeli tanquam opus à perfectissimis manibus Dei proficerentur in primo instanti, maxime conueniens fuit, ut nullo defectu etiam à propria Angelorum libertate originem ducente laborarent, quo magis patefieret, & splenderet perfectio, & excellentia tanti artificis. Item ipsi interrogant, an materiale peccati sit bonum? & omnes vno ore fatentur, excepto vno, vel altero peccatum solum pro formali esse malum, pro materiali autem bonum; cuius rationem volentes tribuere, nullam reddunt, nisi Deum concurrere ad materiale peccati, formalitatem autem soli creaturæ imputari, quia malum, ut malum eo modo, quo peccatum est non oritur à Deo: atqui relatio est opus Dei, quia ipsam immediate producit sapientia, & omnipotentia Dei: ergo relatio est bona, ac proinde dicitur secundum suam rationem formalem perfectionem, & bonitatem.

Ideoque merito ait Pater Suarez, quo modo intelligi potest ens reale sine aliqua reali perfectione; nam quæ ratione aliquis finxerit, posse hoc intelligi in entitate relativa, poterit aliquis idem fingere in qualibet entitate accidentali, vel etiam in quolibet modo reali quod nimirum nullam dicat perfectionem, etiam si reale aliquid sit, quod tamen in vniuersum concedere de omnibus accidentibus, aut modis realibus omnino falsum est, nec potest sufficiens ratio differentie assignari inter relationem, & alios modos, si supponamus relationem esse veram rem, seu realem modum; nam licet relatio dicat ordinem ad terminum, tamen secundum totum id, quod est, afficit subiectum, & inest illi, unde nihil iuvat illa distinctio de relatione secundum esse In, vel secundum esse Ad, nam si esse Ad sit verum, ac reale, necesse est, quod afficiat subiectum, quod refert ad terminum; unde sicut relatio etiam secundum esse Ad ponit in subiecto aliquid reale, ita etiam ponit aliquid bonitatis vel perfectionis, neque est verum relationem secundum esse Ad, præscindere ab esse In, sicut non præscindit ab esse entis, & accidentis; quia illud esse In, est transcendens ad omnia accidentia, & modos eorum, neque etiam est verum esse Ad abstrahere à reali, & rationis, nisi voce tantum; nam relatio rationis absolute, & vere non est relatio: ergo si relatio est verum ens reale suo modo integrum, & perfectum, & vere productum à perfectissimo artifice Deo sapientissime, & perfectissime operante, erit sine dubio bona, & perfecta.

Confirmatur ex creatis; nam quotiescunque videmus artificem creatum excellentem, apprimeque callentem artis magisterium, aliquid operari sine dubio experimur, quodcunque opus maxima perfectione operari, ut in omnibus etiam minutissimis operibus clarissime pateat, omnes alios superare artis perfectione, ne minus perfecto opere, aut

defectuoso honor, & gloria tanti artificis, aliquo modo minuat, extenuetur, & deflorescat in discrimineque, & periculo versetur; ex quo inter omnes Hispanos vagatur tritum illud axioma vulgate; *el hombre de opinion y fama ha de temblar de hazer obra por minima que sea, conque desfaesca de el buen nombre y se desdore en la opinion, que ha adquirido*, quod ut maxime rationi consonum inter prudentes viros maxime commendatur, ratione cuius tenuunt brevi tempore quidquam operari, unde quando ipsis aliquod opus commendatur, multum temporis intervallum exigunt ne opus aliquomodo imperfectum evadat, quo suo honori, & famæ consulunt; atqui Deus est summus & perfectissimus artifex, omniaque propter suam gloriam operatur: ergo in omnibus etiam minutissimis operibus effectibusque suæ perfectionis excellentiam debet ostendere; sed relatio creata quatenus creatura est opus Dei: ergo in sua ratione formalis debet continere perfectionem sibi, tantoque ipsius artificis debitam.

SVBSECTIO II.

Alia rationes ponuntur.

¹⁴ Omnis entitas creata convenit cum Deo in ratione entis realis, & relatio convenit in ratione entis realis respectivi, & talis convenientia, ut late in metaphysica probatum manet, est univoca; atqui in nullo potest Deus univocè convenire cum aliquo, quin sit bonum, & perfectum illud, in quo convenit, quia talis convenientia est secundum prædicata, quæ formaliter reperiuntur in Deo; sed quidquid formaliter reperitur in Deo, dicit perfectionem, quia Deus undequeque, & adæquate est perfectus; atqui Deus convenit univocè cum relationibus creatis in ratione entis realis respectivi: ergo ratio entis realis respectiva est ratio secundum se perfecta; sed in relatione quatenus relatio est, datur formaliter ratio entis realis respectivi: ergo in relatione datur perfectio formaliter. Virgetur, ideo dicimus, in homine dari perfectionem sibi debitam, quia in homine datur formalitas entis realis substantialis, cuius similis univocè formaliter datur in Deo; nam si quidquid est in Deo formaliter est perfectio, ex eo quod Deus adæquate, & totaliter sit perfectus, evidenter sequitur, quidquid reperitur realiter in homine univocè simpliciter, & absolute, simile, & conveniens cum eo prædicato, quod formaliter reperitur in Deo, esse perfectionem; sed in relatione datur ratio entis realis respectivi formaliter, quæ univocè, simpliciter, & absolute convenit cum prædicatis formaliter repertis in Deo: ergo talis ratio est perfecta in relatione; ratione cuius dixit D. Thomas 1. p. q. 5. art. 1. omne ens in quantum est actu esse perfectum, quia actualitas dicit perfectionem respectu potentialitatis, unde comparata relatio realis intrinseca cum denominatione extrinseca, maxima perfectio est; quare si comparemus maternitatem formalem B. Virginis cum esse dextro, vel cum esse viso in pariete, perfectior, & excellentior est talis maternitas, quod etiam cæci fatebuntur sine dubio, imo perfectior est maternitas formalis B. Virginis, quam albedo, nigredo, & aliæ entitates huiusmodi, imo quam multæ qualitates spirituales, ut v. g. ubi quod habet anima separata in hoc, vel illo loco; quis enim poterit in

dubium revocare, an esse matrem formaliter Dei in Virgine, sit perfectio maxima.

Atqui maternitas formalis est relatio formaliter secundum ultimum relationis: ergo relatio creata secundum ultimum illius dicit perfectionem.

Dices, talem maternitatem secundum quod maternitas est, non dicere perfectionem in se, sed in generatione, ex vi cuius resultat.

Sed contra, quia quando aliquis est effectus naturaliter, & necessario resultans, aut dimanans ab aliqua causa perfecta secundum omnem rationem sibi debitam participat perfectionem à causa; sed relatio maternitatis Virginis resultat, aut dimanat, ut ita dicam, naturaliter, & necessario omnino ex vi generationis Virginis in Christum secundum omnem integritatem, & complementum tam essentielle, quam existentielle debitum relationi: ergo participat à generatione perfectionem sibi debitam; sicut quia lux est causa necessaria alterius lucis, & est in se perfecta altera lux, quæ dimanat ab ipsa naturaliter, & necessario participat perfectionem sibi debitam ab illa; sed generatio B. Virginis respectu Christi est generatio perfecta, & est causa necessaria, & naturalis diminutionis, & resultantia relationis maternitatis: ergo insinuat perfectionem in talem relationem, ne proinde talis relatio est perfecta in suo genere relativo.

Ideo generatio est perfecta, quia in se habet omnem sibi debitam integritatem, quare licet sit relatio essentialiter, quia tamen nihil ei deficit in ratione relationis transcendentalis, & generationis suo ordine est perfecta, licet non sit tam perfecta, sicut terminus, ad quem generandum ordinatur, quia perfectio non consistit in indivisibili sed relatio prædicamentalis maternitatis ita est integra, & completa in ratione relationis, ut nihil ex integritate, & complemento sibi debito deficiat: ergo talis relatio est perfecta, licet non sit æque perfecta, ac generatio cuius effectus, vel quasi effectus est.

Præterea, quia in generatione datur duplex conceptus, alius relationis, alius relationis transcendentalis; sed generatio Virginis respectu Christi non habet suam maiorem perfectionem propter rationem illam transcendentalem, quia etiam generatio equi est relatio transcendentalis, & nihilominus non habet tantam perfectionem, ac generatio Christi: ergo summa perfectio, quæ datur in generatione Christi non est, quia est transcendentalis, sed quia essentialiter respicit Christum, qui Deus est simul tanquam terminum suæ tendentiæ, sed etiam maternitas formalis respicit essentialiter Christum Deum, non transcendentaliter sed prædicamentally: ergo à tali tendentiā in Deum habebit aliquam perfectionem sibi proportionatam, licet non sit æqualis in perfectione generationis.

Declaro amplius hoc: quia ipso lumine naturali videtur ostendi manifeste ab specificativo rebus fundi perfectionem in specificatum; unde quo perfectius fuerit specificativum, perfectius erit specificatum, & ideo scientia, quæ tendit in Deum formaliter est perfectior scientia, quæ tendit in creaturam formaliter, & unio hypostatice humanitatis Christi perfectior est unione hypostatice humanitatis ad Deum, & hæc terminatur ad creaturam: sed relatio maternitatis in Virgine terminatur

terminatur essentialiter, etiam si vt praedicamentalis relatio terminetur ad perfectissimum terminum formalem, scilicet Christum Deum: ergo à tali specificativo refunditur in talem maternitatem formalem maior perfectio, quam datur in maternitate Ioannis: ergo talis maternitas ex vi suae tendentiae essentialis, & formalis, & non solum ex parte generationis habet formaliter perfectionem; patet hæc consequentia: quia quidquid convenit superiori, convenit inferiori; sed specificato vt sic convenit habere formaliter perfectionem ab specificativo formali; sed relatio praedicamentalis maternitatis in Christum Deum est specificatum essentialiter à perfecto specificativo, ac proinde est inferior respectu specificati vt sic à perfecto specificativo: ergo sicut specificativum vt sic à perfecto specificativo accipit formaliter perfectionem, ita similiter maternitas formalis, quia est tale specificatum à perfecto specificativo habebit perfectionem formalem ac certam à tali specificativo.

19 Declaratur amplius: quia quando respondent adversarij maternitatem formalem Virginis esse perfectiorem denominatione extrinseca visi in pariete, & denominatione dextri in lapide non ratione sui, sed ratione generationis, vel negant omnino, aut extrinsece aut intrinsece habere talem relationem maternitatis aliquam perfectionem, saltem derivatam à generatione, vel licet concedant illam in generatione maternitatis, dicunt nullo modo habere à se, sed à generatione; si hoc secundum dicant, non est contra nos, quia nos non asserimus, relationem in sua perfectione esse omnino independentem ab alio, sed solum volumus vere, & proprie habere in se formaliter perfectionem, etiam cum dependentia à causa; sicut absolutum creatum habet perfectionem per vos, etiam si eam habeat acceptam à causa, quare talis solutio pro nobis erit, & à nobis stabit.

20 Si autem primum dicant, falsum videtur; tum ex communi modo loquendi sanctorum Patrum, & omnium Theologorum innitentium auctoritati Scripturae sacrae, ipsi enim maximis encomijs, & laudibus extollunt maternitatem Virginis, quam toto tempore vite Virginis, Christi, &c. videbant in B. Virgine, ita vt docerent esse maximam perfectionem B. Virginis tali maternitate condecorari; quare vt hæc summa perfectio intacta, facta, & illibataque conservaretur, collecta, & convocato Concilio generali definivit Ecclesia sub nomine maternitatis expresso, B. Virginem esse vere, & proprie matrem Dei: ergo talis articulus de fide debet intelligi, vt sonat, & non aliter, ac in rigore, & proprietate sonat, præcipue quia est in favorem Virginis, & favores debeant ampliari, odia autem restringi, vt est communis Iuris peritorum axioma; sed maternitas formalis proprie, & rigore sumpta est relatio formalis; sicut paternitas in divinis est formaliter relatio: ergo maternitas quatenus relatio formaliter est perfectio in Virgine quam defendit, & laudat tota Ecclesia sanctissima quando ipsum Concilium sub nomine maternitatis intelligeret generationem Virginis in Christum, nullus deberet excipere ab hac definitione, & à laudibus sanctorum Patrum, & Theologorum ipsam relationem formalem maternitatis, quandoquidem in rigore, & proprietate, quod sonat maternitas est potius relatio concipientis Christum, &c. quam generatio: nam eo modo se habet hoc nomen, mater, in sua signifi-

catione, ac nomen pater in suis, sed nomen, pater, vt de se patet ex supradictis significat potius relationem, quam generationem formalissimam: ergo etiam nomen mater, sub quo definitus est articulus, potius significat relationem maternitatis, quam generationem, & conceptionem præcedentem ad illam.

Sed etiam si non primario hoc nomen, mater significaret relationem maternitatis, nihilominus nullus potest dubitare, quod tale nomen comprehendat, & extendatur per suam significationem ad talem respectum, seu relationem maternitatis: ergo si encomia illa, & definitio Conciliorum, per quæ significatur maxima perfectio Virginis sunt in favorem illius, & privilegia amplissima Virginis; necessario dicendum est, extendi ad quaecunque rationem, & formalitatem comprehensam sub hoc nomine Matris, quia hoc non derogat perfectioni Virginis, nec minuit illam, sed potius augeat, quia per illa significatur, non solum conceptionem, partum, & generationem Virginis respectu Christi esse perfectionem formaliter in ea, sed etiam respectum & relationem prædicamentalem, quæ maternitas formalis dicitur esse perfectionem, ac proinde esse maximam perfectionem omnem formalitatem, quam habet Virgo in ordine ad Christum, vt filium seu genitum, in quo plus perfectionis conceditur Virgini, quam si ipsi concederetur perfectio sola generationis, siquidem conceditur illa, & alia distincta ab ipsa.

Item, quia generatio solo vno instanti fuit in Virgine, quia est actio instantanea, & conceptio, seu portatio in utero, & partus, licet multum temporis duraverint, nihilominus non duraverunt per totam vitam Virginis, & per vitam Christi, & tamen Ecclesia tota, & Sancti laudant, & dicunt, esse perfectionem maternitatem, quæ post conceptionem, & partum perseverabat in Virgine, ratione cuius toto ore proprie, & rigore dicebatur mater Christi; sed talis maternitas, quæ respiciebat Christum, vt filium erat relatio formalis prædicamentalis, quæ adhuc transacta generatione permanet in matre concipiente: ergo talis relatio formalis prædicamentalis maternitatis ratione sui habet maximam perfectionem, & ideo asserunt Doctores, perfectiorem esse relationem maternitatis in Virgine, quam relationem paternitatis Petri respectu Ioannis; sed omne comparativum supponit positivum: ergo maternitas, quæ comparata cum paternitate est in comparativo perfectionis, supponit in se positivum perfectionis ante illam comparisonem, ac proinde erit positive perfecta.

SVBSECTIO III.

Tertium argumentum principale ponitur.

23 Via omnis relatio est actus fundamenti, existitque in ipso fundamento ipsum formaliter constituendo in esse relati: sed actus quatenus actus est perfectio actuabilis per illum: ergo omnis relatio quatenus relatio est formaliter perfectio. Maior est certa, quia nihil aliud est actus, nisi formalitas, quæ per modum formæ advenit alicui, vt ipsum actu constituat in aliquo esse formali: ideo enim anima rationalis est actus materialis, quia est forma actuans materiam, & actu constituens

tuens illam in esse animatam; sed relatio est forma subiecti actus illud, & constituit ipsum actum actualiter in esse relativi, & respectivi: ergo relatio est actus subiecti, seu fundamenti: minor illa est manifesta, quia omne determinans potentialitatem passivam alicuius, & actus illam, perficit talem potentialitatem; sed id, quod perficit aliud, est perfectio illius: ergo omnis actus est perfectio actualis per illum. Maior hæc probatur, quia omnis potentialitas passiva est perfectibilis, unde tanto magis perfectibilis est, quanto magis est potentialitas passiva, quia dicit imperfectiorem, & capacitatem ut perficiatur; atqui non est perfectibilis, nisi in ordine ad proprium actum: ergo omnis potentialitas passiva perficitur ab actu, & actus proportionatus tali potentialitati perficit illam: exemplis manifestatur: Ideo enim intellectio perficit intellectum, & volitio voluntatem, supposita talitas naturam, forma materiam, & accidens absolutum subiectum proprium, quia intellectio est actus intellectus, amor actus voluntatis, accidens absolutum actus subiecti, & tandem forma substantialis actus substantialis materiam primam: ergo omnis actus, quia actus est, perficit potentialitatem passivam, cuius actus est.

24 Minor illa est evidens, quia nihil potest dare, quod non habet: sed perficere est dare perfectionem: ergo nihil potest perficere nisi in se habeat perfectionem; unde quidquid perficit, est perfectio in se, præcipue si perficiat in genere causæ formalis dando propriam entitatem; nam perficere est dare perfectionem; sed perficere in genere causæ formalis est dare suam propriam entitatem, & exhibere illam: ergo propria entitas, quæ datur, media qua formaliter perficitur subiectum est formaliter perfectio: nam eo modo denominatur forma in abstracto, quo denominatur in concreto effectus formalis illius; sed id, quod perficitur per actum in genere causæ formalis est perfectum: ergo actus, qui per modum formæ constituit tale concretum in esse perfecti erit perfectio formaliter.

25 Dices, relationem non esse intrinsecam formalitatem, sed potius extrinsecam denominationem, ac proinde non posse esse perfectionem simpliciter respectu fundamenti, & subiecti; ideo enim actio, qua producitur ex nihilo Angelus, non est perfectio Dei, quia est denominatio extrinseca respectu illius; sed relatio, ut relatio est denominatio extrinseca: ergo relatio, ut relatio non est perfectio fundamenti.

26 Sed contra primo, quia denominatio extrinseca tota est ab extrinseco, id est incipit à forma extrinseca denominante, & terminatur in subiectum denominatum; sed relatio non est tota ab extrinseco, sed potius ab intrinseco ad extrinsecum, unde opposito modo incipit, & terminatur, ad denominationem extrinsecam: ergo relatio non est denominatio extrinseca, sed potius est formalitas intrinseca intrinsece efficiens subiectum, & constituit in ratione entis respectivi: maior est evidens, ut inductione patet, nam esse dextrum totum est à dexteritate extrinseca subiecto, & esse visum totum est à visione extrinseca, &c., à qua ut à forma extrinseca incipit, & quasi definit in subiectum extrinsece denominando ipsum, & ratio evidens est, quia si non esset tota ab extrinseco, male vocaretur denominatio extrinseca, sed potius si sumeretur totaliter ab intrinseco, ut album tota vocaretur intrinseca denominatio; si partim ab ex-

trinseco, & partim ab intrinseco deberet denominari partim intrinseca, & partim extrinseca id est mixta ex utraque ratione; unde absolute, ac simpliciter solum extrinseca debet dici, quæ tota sumitur ab extrinseco.

Minor illa clara est, quia pater v. g. non dicitur talis quia solum habet terminum à se genitum, sed potius quia respicit talem genitum per respectum quem habet in se; unde talis denominatio incipit ab intrinseco, & definit in extrinsecum genitum, alias non respiceret per paternitatem patrem suum filium, ut videre est manifeste exemplis clarissimis; nam patres quatenus visus formaliter ex vi talis esse visi nullo modo respicit visionem, neque dextrum ex vi extrinsece esse dexteri nullo modo respicit dexteritatem, nec amatum quatenus amatum respicit amorem, sed potius amor respicit amatum, & visio visum quod extrinsece constituitur per visionem, & visio respicit visum, & amor amatum, quia sunt in se denominationes intrinsece respiciendi, quæ quatenus tales non debent incipere ab extrinseco, sed potius incipiendo ab intrinseco debent finire in extrinsecum, sed denominatio patris est denominatio respicientis extrinsecum terminum: ergo incipit ab ipso patre intrinsece, & definit in ipsum genitum extrinsece.

Secunda pars illius minoris est clara, quia si denominatio extrinseca provenit, & incipit ab extrinseco, & definit in subiectum denominatum, & denominatio relatiæ est contra incipit ab intrinseco relativo, & definit in extrinsecum genitum, qui sunt modi oppositi incipiendi, & definendi: ergo opposito modo se habet denominatio relationis ac se habet denominatio extrinseca.

Quod autem pater non dicatur pater ex eo solum, quia habet filium, sed potius quia respicit illum ab intrinseco est manifestum ex divinis relationibus, nam pater æternus non dicitur vere, & proprie pater præcise, & solum quia habet filium, sed potius quia habet in se paternitatem intrinsecam per quam respicit filium, & refertur ad illum, unde talis denominatio patris incipit ab intrinseco in patre, & definit in filium, & non è contra incipit à filio, & definit in patrem; hoc totum quia est vere pater, & vere respicit filium: sed B. Virgo est vere mater, & unus homo est vere pater respectu alterius à se geniti: ergo B. Virgo non dicitur mater, quia præcise habet filium genitum, sed potius quia intrinsece respicit filium per relationem existentem intrinsece in ipsa; sicut pater dicitur talis, quia ab intrinseco respicit filium.

Aliàs si hæc denominatio non esset ab intrinseco, non denominaret villo modo patrem quod sic demonstratur: quia deberet incipere ab extrinseco, & iterum finiretur in extrinsecum; unde nec in principio, nec in fine, ac proinde nunquam haberet aliquam rationem, propter quam pater denominaretur talis, nam inciperet ab ipso genito, ut vos dicitis, ratione cuius in vestra sententia est denominatio extrinseca respectu patris; atqui non denominatio extrinseca respectu patris non est quare depotius in ipsum genitum: ergo non est quare denominandus esset per talem denominationem pater in esse patris; quia omnis denominatio autem est quia incipit ab ipso, & in seipso est sine tendentia ad aliud, & hæc est denominatio absoluta intrinseca; alia est, quia incipit ab extrinseco, & definit.

Quaest. VII. Vtrum relatio vt talis, &c. 817

desinit in subiectum denominatum, & hæc vocatur omnino extrinseca denominatio, alia autem est, quæ incipit à denominato, & desinit in aliud extrinsecum, & hæc vocatur denominatio intrinseca respectiva, vt est denominatio intelligentis obiectum, itaque omnis denominatio, siue intrinseca, siue extrinseca est, quia vel incipit à denominato vel desinit in denominatum: sed denominatio patris, si est à genito, & incipit ab illo, nec incipit à generante, nec desinit in ipsum: ergo nullo modo denominat patrem: ergo vt denominet illum non debet incipere à genito: sed potius debet incipere à generante, & desinere in genitum, & sic erit denominatio intrinseca, & non extrinseca.

31 Quod autem non desinat in patrem denominatio patris, seu relatio paternitatis patet evidenter, quia in illud desinit relatio, ad quod terminatur, & ad quod tanquam in vltimum finem tendit, & à quo specificatur tanquam à termino formali, quia terminari, & desinere in termino, & fine est, vnde in fine, seu termino viæ desinit, & terminatur motus, & in fine, seu termino vitæ à quo terminatur, & finitur, desinit vita; sed terminus paternitatis non est ipse generans; sed potius genitum, aut filius, vnde paternitas non tendit ad generantem, nec respicit illum: sed potius respicit, & tendit in filium, & genitum, quia filius, vel genitus, vt abstractum ab opinionibus, est terminus formalis specificativus paternitatis: ergo paternitas desinit formalissime, & terminatur nullo modo ad generantem, sed potius ad filium, vel ad genitum; ergo si per vos etiam incipit à genito, vel à filio, neque incipit à generante, neque desinit in illum: ergo nullo modo pertinet ad illum, ac proinde nullo modo denominat ipsum; quia denominatio adæquate dividitur in eam, quæ denominat; quia incipit à subiecto denominato, vel quia desinit in ipsum, quod adeo verum est, vt nulla denominatio possit reperiri ab adversariis, quæ non comprehendatur sub aliquo ex his membris vt inductione manifesta per omnes denominationes discurrenti evidenter patet.

32 Atqui paternitas vere proprie, & realiter denominat patrem, sicut maternitas denominat Virginem Mariam: ergo pertinet ad ipsam; sed non, quia desinit in ipsam, & terminatur ad ipsam, cum certum sit terminari ad Christum, & desinere in ipsum: ergo ideo pertinet ad ipsam, & denominat ipsam formaliter matrem, quia incipit à formalitate intrinsece existente in ipsa, per quam Virgo intrinsece respicit, & terminatur ad Christum: ergo nullo modo est denominatio extrinseca; sed potius perfectissime intrinseca.

33 Ratio autem à priori videtur esse, quia omnis relatio est tendentia fundamenti ad terminum; sed tendentia est in tendente, & non in termino, ad quem tendimus: ergo relatio est in relato, & non in termino, quem respicimus per illam; maior est evidens, quia relatio est respectus; sed respectus est tendentia ad terminum, quem respicimus: ergo relatio formaliter est tendentia. Minor est clara, quia tendentia facit tendere, & reddit tendens ad extrinsecum terminum: ergo debet esse formaliter in tendente, intrinsece, vt faciat illud tendere in extrinsecum terminum, alias non posset reddere tendens in illud; v. g.

motus localis, quia est tendentia moventis se in locum extrinsecum, debet necessario esse in movente se intrinsece, & non in loco extrinseco, & quia intellectus per intellectionem tendit in obiectum, & voluntas per amorem tendit in amatum, intellectus est intrinsece in intellectu tendente, & non in obiecto extrinseco, ad quod tendit intellectus per intellectionem: ergo omnis tendentia, per quam aliquid tendit formaliter ad aliquem terminum extrinsecum, non debet esse in termino extrinseco: sed potius in tendente intrinsece: quis enim posset dicere, saxum, quod immobile est in flumine, tendere ad aquas fluminis: certe nullus etiam amens posset hoc dicere, vnde potius dicendum est, aquas fluminis tendere formaliter, & imperum facere formaliter in saxum immobile, quam saxum tendere in aquas fluminis, & ratio est, quia tendentia per motum localem est in aquis, & non in saxo, vnde talis tendentia non potest constituere subiectum in esse tendentis, nisi intrinsece existat in illo.

Dices, verum esse de tendentia motus localis, 34 non autem de tendentia relationis prædicamentalis, quia per motum localem movetur ipsum, quod tendit ad locum extrinsecum, & non locus ad mobile.

Sed contra, quia vel convenit motui locali 35 inhaerere intrinsece in tendente per illum, quia tendentia est sub ratione communi tendentiæ, vel quia talis tendentia est, scilicet motus localis, vel propter coniunctum ex ratione tendentiæ vt sic, & talis tendentia, quia inter hos terminos nullum datur medium; v. g. homo est risibilis, & hoc debet convenire illi, aut propter totum coniunctum ex animali, & rationali, aut propter rationem genericam, aut propter differentialem, quia in vnoquoque subiecto, vt de se patet, non datur amplius quam genus, differentia, vel totum constitutum.

Sed non convenit motui locali esse intrinsece 36 in subiecto propter differentiam, nec propter coniunctum ex ratione differentialis motus localis, & ratione tendentiæ vt sic: ergo convenit illi esse intrinsece in subiecto, quod tendit, propter rationem superiorem tendentiæ vt sic: sed quidquid convenit alicui propter rationem communem multis non solum illi, sed omnibus participantibus, & habentibus in se talem rationem communem convenit secundum illud axioma dici de omni, vt v. g. quia Petro convenit risibilitas propter rationem communem hominis, convenit etiam Paulo, Antonio, &c. quia habent talem rationem communem hominis: sed relatio prædicamentalis habet rationem tendentiæ in terminum extrinsecum: ergo convenit illi sine dubio esse intrinsece in subiecto, quod tendit per illam in terminum extrinsecum, aut ordinatur in illum.

Minor illa, in qua est difficultas, est manifesta, 37 quia quidquid convenit alicui subiecto, aut propter differentiam aut propter coniunctum ex illa, & ex ratione generica, nullo modo potest convenire alijs, quibus non convenit talis differentia, aut tale coniunctum, vt v. g. quia rugibilitas convenit leoni, aut propter coniunctum, aut propter differentiam leonis, talis rugibilitas nullo modo potest convenire aut homini, aut equo, quia neque convenit coniunctum, nec convenit differentia leonis: vnde quando convenit non

non solum talis speciei; sed etiam omnibus alijs speciebus, evidenter colligimus, illud prædicatum convenire tali speciei, nec propter coniunctum, nec propter differentiam: sed potius propter rationem communem omnibus illis speciebus, quia quando alicui convenit aliquod prædicatum secundum quod ipsum non potest alteri diverso ab illo convenire tale prædicatum, ut mille exemplis manifestum est; sed esse intrinsece in subiecto convenit non solum tendentiæ motus localis: sed etiam tendentiæ potentiarum in obiectum habituum in proprios actus, & actuum vitalium respectu motorum: ergo esse intrinsece in subiecto denominato per tendentiam non convenit tendentiæ motus localis, aut quia est talis tendentiæ, hoc est propter coniunctum, aut propter differentiam illius; sed potius propter rationem communem tendentiæ ut sic.

38 Dices, ideo talibus tendentijs convenire, quod sint intrinsece subiectis, quia sunt vitales, & vitale debet esse intrinsece in eo, quod vivit.

39 Sed contra manifeste, quia tendentiæ habitus in actum, & in obiectum nullo modo est vitalis, quia habitus nihil vitalitatis in se habet. Item tendentiæ gravitatis in centrum, & tendentiæ motus localis fluminis, & ubi, seu præsentia localis in locum, aut spatia imaginaria nullo modo sunt tendentiæ vitales, alias lapis, quando movetur per gravitatem in centrum viveret, &c. quæ sunt absurda manifesta, & nihilominus tales tendentiæ sunt intrinsece in subiectis, quæ tendunt per illas: ergo falsa est solutio de vitalitate tendentiæ.

40 Dices, ideo illis tendentijs convenire, quod sint intrinsece subiectis, quod sunt tendentiæ, aut relationes transcendentales respectu subiectorum.

41 Sed contra, quia intellectus v. g. non est relatio transcendentalis respectu animæ rationalis, alias intellectus esset de essentia animæ rationalis, neque tendentiæ habitus logicæ est de essentia intellectus, sicut gravitas non est de essentia corporis gravis, v. g. panis, alias non posset gravitas panis separari in Eucharistia ab ipsa substantia panis; sed relatio transcendentalis est de essentia illius, cuius relatio transcendentalis est, unde ordo materiæ ad formam est de essentia materiæ primæ, & ordo intellectus ad obiectum est de essentia intellectus, quia omnis relatio transcendentalis est de essentia illius, cuius relatio transcendentalis est, in quo distinguitur relatio transcendentalis à prædicamentali; unde si habitus esset relatio transcendentalis respectu intellectus, & gravitas respectu panis, non essent accidentia panis, & intellectus; sed potius essent prædicata essentialia illorum; atqui habitus est accidentis, & non de essentia intellectus: ergo non est tendentiæ, seu relatio transcendentalis intellectus, & nihilominus habitus, & gravitas intrinsece inhaerent in intellectu, & in substantia panis: ergo talis inhaerentia intrinseca, aut modus existendi intrinsecus in subiecto quod tendit per tales tendentias non convenit illis, quia sunt relationes, aut tendentiæ transcendentales: sed potius propter rationem tendentiæ, ut sic; sed relatio prædicamentalis est vera, & realis tendentiæ fundamenti in terminum extrinsecum: ergo est in-

trinseca respectu fundamenti. Declaratur amplius.

Quia verum est, relationem transcendentalem habitus esse de essentia illius, ac proinde intrinsece convenire illi per tendentiam, & relationem transcendentalem gravitatis ad centrum esse intrinsecam gravitati, quia sunt de essentia gravitatis, & habitus; unde ex vi tendentiæ petunt, ut intrinsece conveniant, ex vi autem talis tendentiæ, scilicet transcendentalis exigunt, ut non quomodocumque conveniant intrinsece; sed potius essentialiter subiectis immediatis, quorum relationes transcendentales sunt, unde ex vi differentie talis non debet argui quicunque modus intrinsece conveniendi; sed necessario debet colligi modus intrinsecus essentialis; atqui habitus non est de essentia intellectus, item, & actus vitalis, & nihilominus intrinsece accidentaliter conveniunt intellectui: ergo non convenit illis respectu intellectus intrinseca inhaerentia, & inexistencia, quia sunt relationes transcendentales: sed potius, quia respectu intellectus habent relationem accidentalis tendentiæ: ergo relatio prædicamentalis, quæ est accidentalis tendentiæ in terminum extrinsecum respectu fundamenti non erit extrinseca denominatio: sed potius intrinseca ratio.

Vergetur efficacius, quia spiratio activa in divinis non est extrinseca denominatio respectu Patris, & Filij, sed potius est intrinseca; atqui spiratio activa non est relatio transcendentalis, ut supra late probavimus; sed potius est tendentiæ, & relatio quasi prædicamentalis. Item amor creaturarum est tendentiæ vitalis in illas, & omnipotentia est tendentiæ Dei in creaturas, & non sunt relationes transcendentales ut in metaphysica late probavimus, & nihilominus sunt tendentiæ intrinsece in Deo: ergo tendentiæ non convenit esse intrinsece in aliquo, quia est relatio transcendentalis; sed potius quia est vera, & realis tendentiæ, ac proinde relatio prædicamentalis in creaturis, quia est vera, & realis tendentiæ fundamenti in terminum extrinsecum, erit intrinseca in fundamento.

Dices, ideo spirationem activam seu relationem spiritoris activi esse intrinsecam tendentiam, quia divinæ personæ tendunt per illam.

Sed contra, quia si ex sua natura exigeret tendentiæ, quæ non est relatio transcendentalis, ut esset extrinseca, & non intrinseca, tam in Deo, quam in creatura esset extrinseca denominatio, tum quia Deus non immutat naturas rerum: tum etiam, quia ipse est capax denominationis extrinsecæ, v. g. quia esse cognitum, esse amatum, actu terminans, actu agens sunt denominationes extrinsecæ, non solum in creatura sunt tales: sed etiam in Deo, & ideo in tempore potest Deus constitui in esse amati, cogniti, & actu agentis, & causantis: ergo si relatio, seu tendentiæ non transcendentalis est intrinseca in Deo, non est quia Dei est: sed potius, quia natura cuiuscumque relationis petit, ut sit intrinseca respectu illius, cui convenit: atqui paternitas, filiatio, &c. sunt veræ, & propriæ tendentiæ in terminos: ergo etiam in creaturis sunt intrinsecæ, & non extrinsecæ denominationes: atqui sunt actus formales respectu fundamenti: ergo sunt perfectiones intrinsecæ absolute, ac simpliciter.

SVBSECTIO

SUBSECTIO IV.

Vltimum argumentum principale ponitur.

46 **S**i eadem partes, quæ sunt in hoc vniuerso, non seruirent ordinem, quem inter se servant, sed inordinatæ essent, sanè vniuersum hoc non esset adeo perfectum, ac modo est: ergo ex ordine partium, qui est quædam relatio aliqua perfectio ei accrescit, sed non posset accrescere talis perfectio, nisi ordo ipse, seu relatio in se formalem perfectionem contineret, quia nihil tribuit perfectionem, nisi quod perfectio est; sed ordo, qui datur inter partes vniuersi reddit vniuersum perfectum: ergo relatio, seu ordo perfectio est formaliter.

47 Vergetur: quia siue perfectio sit convenientia, siue amabilitas, aut appetibilitas, relatio, seu ordo dicit convenientiam ad fundamentum, & dicit per se appetibilitatem, & amabilitatem: ergo relatio seu ordo dicit convenientiam. Antecedens quoad secundam partem probatur: quia conueniens est vniuerso habere ordinem, & relationem inter suas partes, ex quo mira pulchritudo, & venustas resultat in illo: ergo talis ordo, seu relatio dicit convenientiam respectu vniuersi. Deinde relatio, vt relatio v. g. creaturæ ad Creatorem indicat dependentiam, connexionem seu indigentiam; nam cum relatio sit quoddam genus connexionis, sine dubio exprimit quædam habet entitas creata cum suo Creatore; sed exprimeret hoc, aut indicare conueniens est maxime: ergo relatio dicit convenientiam respectu subiecti: ex quo sequitur quod talis relatio sit amabilis, & per se exceptibilis, quia vt ex illo axiomate patet; bonum autem amabile, vnicuique autem proprium, id est, id quod sibi est conueniens, est sibi ipsi amabile, tanto enim amabilior est res, quanto conuenientior: ergo si relatio est conueniens, amabilis est: vnde relatio maternitatis diuinæ quia conueniens erat maxime, maxime amabilis erat Virgini, & de facto amatur; sicut v. g. relatio, quæ in iusto resultat filij adoptivi respectu Dei, sine dubio amabilis est iusto, quia maxime conueniens est ipsi.

48 Præterea, quia Deus qui in suis operibus perfectissimus est, vt bonum illorum operum appetit ordinem, ac proinde perfectissimo ordine operatur omnia, quod indicatur illis verbis, omnia in pondere, numero, & mensura operatus est Dominus, illa particula, numero, ordinem indicari aiunt Aug. Ambros. Nazianz. & Hieronym. &c. imo vt inferni mala describantur, solet ab Ecclesiâ dici, vbi sempiternus horror inhabitat, id est confusio sine ordine, vt explicat Chrysostomus, quod amplius vrget quæstio illa inter Theologos, & Philosophos agitata, in qua resoluitur hoc mundo quoad ordinem non posse alium perfectionem produci, quoad res autem, ex quibus componitur, sine dubio posset: ergo ordo, & relatio, à quibus tantam vniuersus accipit perfectionem sunt perfectiones formaliter, quia sunt participationes infinitæ bonitatis, & perfectionis, à qua non nisi id, quod perfectionem dicit participatur, quia eo modo participatur aliquid ab alio. quo illud aliud est participabile, & id participatur, quod continetur in participabili; sed Deus vt participabilis hoc est, vt omnipotens est omne bonum, & bonitas per essentiam & essentialiter per-

R. P. Ioseph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

fectissimus: ergo quod creaturæ participant ab eo est bonitas, & perfectio; sed relatio quatenus relatio, & quatenus distinguitur ab omni absoluto est ens participatum: ergo dicit perfectionem, & bonitatem.

Declaratur amplius: quia creaturæ possibiles 49 secundum Doctores gravissimos amantur à Deo, & ideo asserunt Spiritum sanctum procedere ex amore comprehensivo creaturarum possibilium; sicut Verbum diuinum procedit ex cognitione illarum, & sine controversia docent omnes Theologi, Deum libere amare relationes actus existentium, quia amare, vt ait D. Thomas, est velle bonum alicui; atqui relationibus vult existentiam, quam tribuit illis; existentia autem bonum est: ergo Deus, qui tribuit existentiam relationibus, amat illas; sed nihil amat, quod non sit bonum, & nihil amat, quod non sit bonum perfectum præcipue à rectissima, & ordinatissima voluntate diuinæ: ergo relatio, quam Deus amat, libere quoad existentiam, dicit perfectionem quoad illam.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

Ad primum argumentum respondeo, concedendo maiorem, & negando minorem; ad probationem minoris dico dupliciter posse intelligi, vnam personam diuinam esse infinite perfectam, aut in ratione Dei, aut in ratione personæ; si loquatur secundum diuinitatem est infinite perfecta in omni genere entis, & sic, aut formaliter, aut eminenter continet omnem perfectionem, tam creatam, quam increatam, quia Deus continet omnem creaturam eminenter, perfectionem autem increatam continet formaliter solum si sit absoluta; si autem sit respectiva, continetur etiam eminenter in diuinitate; cum autem vnaquæque persona sit vere, & proprie Deus, & habeat vere, & proprie in se diuinitatem, vnaquæque persona continet omnem perfectionem, siue formaliter, siue eminenter; nam perfectiones absolutas omnes increatas continet vnaquæque persona formaliter, relativas autem non continet omnes formaliter, sed aliquam, vel aliquas continet formaliter, alias autem continet eminenter ratione diuinitatis, v. g. Spiritus sanctus solum continet formaliter spirationem passivam, paternitatem autem &c. continet eminenter ratione diuinitatis; contra vero pater continet formaliter paternitatem, filiationem autem, & spirationem passivam eminenter, & sic de cæteris; vnde quia hoc modo continet omnem perfectionem, vnaquæque persona dicitur infinite perfecta, quia infinite perfectum est, quod omnem perfectionem continet; sed vnaquæque persona continet omnem perfectionem, aut formaliter, aut eminenter: ergo est infinite perfecta; neque ad infinitam perfectionem requiritur, vt formaliter contineatur omnis perfectio; nam Deus non continet formaliter omnes perfectiones creaturarum, vt sunt in creaturis, quia sunt admixtæ imperfectionibus, & nihilominus Deus infinite perfectus est: ergo bene potest esse aliqua persona infinite perfecta, licet non contineat omnem perfectionem formaliter, dum tamen contineat aut formaliter, aut eminenter; Nec obstat dicere, perfectiones creatas non de-

K k k k k bere

bere contineri in persona divina formaliter perfectæ imperfectiones, quibus admiscuntur, sed perfectiones relativæ nullam dicunt imperfectionem: ergo ut una persona sit infinite perfecta, necessario debet continere perfectiones omnes relativæ formaliter.

51 Sed contra, quia sicut imperfectio creaturæ est impedimentum, ut contineatur formaliter in persona divina, in qua nihil imperfectum potest formaliter contineri propter summam, & infinitam perfectionem illius, ita similiter est impedimentum, ut filiationis v. g. contineatur formaliter in Patre, non imperfectio illius, quia nulla latet in filiatione: sed oppositio, quam habet filiationis realiter cum paternitate, per quam constituitur pater in esse patris, ac proinde cum ipso Patre, & ratio evidens est, quia in eodem subiecto non possunt esse formaliter duæ rationes oppositæ inter se realiter, alias idem opponeretur sibi ipsi realiter, & distingueretur à se ipso realiter, quod implicat ex terminis: ergo licet filiationis non dicat imperfectionem, cum dicat oppositionem realem cum Patre, non poterit esse formaliter in Patre; unde ut Pater sit infinitus, & infinite perfectus, sufficit, ut contineatur formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem, & relativam sibi oppositam eminenter propter rationem dictam, neque quia deficit formaliter, cum non deficiat eminenter, deficit aliquid ad perfectionem infinitam Patris propter incapacitatem talis continentia.

52 Neque ex hoc potest argui, quod una persona sit perfectior altera; nam licet in Patre v. g. non sit filiationis formaliter: nihilominus est paternitas quæ tam perfecta est, sicut filiationis; unde sicut in Patre deficit paternitas formaliter, ita in Filio deficit paternitas formaliter; sed quia loco paternitatis est filiationis, quæ æquivalens paternitati in perfectione, quia tam perfecta est, sicut paternitas, ideo ita librantur hæ perfectiones in personis, ut nulla aliam in perfectione superet, licet una habeat perfectionem relativam distinctam ab alia; superaret sine dubio, & excederet una persona aliam in perfectione relativa, si persona filij v. g. haberet filiationem, & Pater non haberet paternitatem æqualem in perfectione cum filiatione, & æquivalentem in excellentia ipsi filiationi; sed licet Filius haberet filiationem, quæ est maxima perfectio, nihilominus Pater habet paternitatem, quæ in suo genere est tam perfecta, sicut filiationis in suo: ergo neque Pater excedit in perfectione Filium, neque Filius excedit in perfectione Patrem propter rationem dictam, quia ut ait Athanasius in Symbolo, & in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius, aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales in perfectione; etiam si relationes, & personalitates sint perfectiones, quod meo videri evidenter demonstratur, quia incredibile est, misterium Trinitatis, quod constituitur tribus personalitatibus relativis, &c. nullam perfectionem ponere in Deo: cur enim esset illa multiplicatio personarum, & pluralitas relationum quatenus talium formaliter in ente summe perfecto, si illarum, quatenus tales sunt, nulla est perfectio? præcipue, quia nihil potest esse magis imperfectum in se, & absolute spectatum, quam id quod nullam dicit perfectionem, quia imperfectio non est positivum quid; sed carentia perfe-

ctionis; si ergo paternitas v. g. nullam perfectionem adfert, profecto valde imperfecta est.

Dices, non quancunque negationem perfectionis esse imperfectionem; sed solum negationem perfectionis debita in esse; paternitati autem, aut filiationi divinæ nullam deberi perfectionem secundum propriam rationem, & ideo negationem perfectionis in tali entitate non esse imperfectionem.

Sed contra, quia nulla videtur esse maior imperfectio alicuius, quam esse tale ens cui nulla debeatur perfectio secundum propriam rationem, ut v. g. formalitas peccati est summa imperfectio, quia ipsi nulla perfectio debetur; sed potius illi repugnat omnis perfectio, & nihilum rigorosum, ac proprium est imperfectio summa, quia illi nulla debetur perfectio; sed relationibus divinis formaliter, ut talibus nulla per vos debetur perfectio: ergo summa datur in eis imperfectio; sed hoc est summum absurdum: ergo sine dubitatione dicendum est, relationes, & personalitates divinas quatenus tales dicere perfectionem.

SVBSECTIO I.

Amplius confirmantur dicta.

O Via divina essentia ex sua infinita, excellentissima, & eminentissima fecunditate habet communicabilitatem realiter respectu multorum suppositorum, & personarum, ita ut talis communicabilitas sit fecunditas divina; sed fecunditas divina est summa perfectio, de quo nullus unquam dubitavit; nam si fecunditas, seu potentia ad extra, seu communicabilitas respectu creaturarum, quæ omnipotentia dicitur est sine dubio summa perfectio in Deo, a fortiori fecunditas, & communicabilitas, non respectu creaturarum, sed respectu divinarum personarum complementum ipsam divinitatem erit summa, & infinita perfectio divine nature: ergo habere etiam personas, & supposita, in quibus sit, & quibus intrinsece communicet se divina natura ex vi propriæ, & infinite perfectæ fecunditatis, est summa perfectio divina; sed supposita, & persona sunt relativa, & sunt divinæ relationes, quatenus tales: ergo divinæ relationes quatenus tales dicunt perfectionem in Deo, nam communicati suppositis, & personis nullam afferentibus perfectionem non videtur ad perfectionem pertinere, neque esse conveniens nature adeo perfectæ, sed maxime conveniens est nature divinæ talis communicatio: ergo est maxima perfectio illius, vnaquæque enim res habet perfectionem entitatis suæ accommodatam; unde si relatio illa consideretur, ut forma suppositi, sicut dat constitutionem formalem sibi accommodatam, ita etiam formalem perfectionem; quia talis constitutio in esse suppositi, & personæ quam tribuit vnaquæque enim commaxime perfectio nature, subsistere enim complere est magna perfectio, quia est quasi exemplum, aut actus secundus substantiæ completæ in ipsa existens; atqui exercitium intrinsecum alicuius gradus perfectissimi est perfectio talis gradus, ut v. g. intellectus est perfectio potentie intellectivæ, & visio actualis est perfectio potentie visivæ, quia sunt exercitia intrinseca, per quæ in

ultima actualitate constituntur tales entitates; sed gradus substantiae in ultima actualitate debita sibi constituntur per personalitatem, & substantiam completam; ergo substantia completa, & personalitas divina quatenus talis formalissime, & reduplicative est magna perfectio; sed quatenus talis est relatio formalissime; ergo relatio quatenus talis formalissime est formalissime perfectio; unde Caetanus 3. p. q. 3. art. 1. concedit, relationes divinas, vt substantes sunt, dicere perfectionem, etiam infinitam; nam D. Thomas etiam ibi id significat, nihilominus sentit Caetanus, relationes, vt relationes sunt, non dicere perfectionem.

56 Sed haec duo coherere non possunt, nam relationes divinae sunt substantes, non solum ratione essentiae, sed ex proprijs, & ideo in tribus personis tres sunt substantiae personales, quidquid autem personale est in divinis formalissime, & secundum quod ipsum, relativum est, quia secundum quod ipsum formalissime, & expresse ratione personalitatis una persona distinguitur ab alia realiter, quia una persona opponitur alteri realiter: sed neque datur distinctio realis, neque oppositio in divinis, nisi per relationes formaliter; in divinis enim omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio: ergo personalitas formaliter vt talis est relatio; sed personalitas quatenus talis est perfectio: ergo relatio quatenus relatio, & secundum propriam rationem est perfectio.

57 Unde necessario colligitur sicut dantur tres personalitates in divinis, & tres relationes realiter distinctae, ita dari tres perfectiones realiter distinctas in divinis, quod nullo modo potest negari secundum dicta; nam si personalitates, & relationes personales secundum proprium conceptum sunt perfectiones, & tales personalitates sunt tres realiter distinctae: ergo sunt tres perfectiones personales aut relativae realiter distinctae; quia quae sunt personalia, sunt propria, quae autem propria sunt multiplicatur in personis, quatenus talia sunt: ergo perfectiones personales, & relativae multiplicabuntur, quia perfectiones illae personales, quia relativae sunt, includunt oppositionem vt iam dixi, nam perfectio paternitatis consistit in hoc, quod subsistat in ordine ad Filium, & est contratio in filiatione, quod subsistat in ordine ad patrem: sed oppositio in divinis causat distinctionem, & multiplicationem: ergo perfectiones relativae, & personales multiplicantur, & pluriificantur realiter, etiam si perfectio absoluta sit una, & non plures, & etiam si tales relationes solum distinguantur ratione à perfectione illa absoluta, quia distinctio rationis inter perfectionem relativam, seu personalem & essentialem, seu absolutam quatenus talis est, infert distinctionem realem inter relationes ipsas, quia relatio, & essentia distinguuntur ratione tanquam incommunicabiles, & communicabiles; sed eodem modo distinguuntur ratione inter se, ratio essentiae, & perfectio relationis: ergo eodem modo infertur pluriificatio, multiplicatio & distinctio realis inter perfectiones relativae quatenus tales sunt.

58 Et ideo sancti Patres plurali numero vtuntur, dum loquuntur de perfectionibus personalibus, vt significant aperte pluralitatem earum; nam Damascenus lib. 1. de fide, cap. 1. sic ait: Patrem, & Filium distinguunt perfectionibus personalibus.

R. P. Ildeph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

Pater autem Vasquez, aliter sentit, & ideo ait, 59 relationes divinas dicere perfectionem simpliciter divinae essentiae ratione distinctam ab omni perfectione, quam habet divinitas ex omnibus attributis absolutis, nihilominus tamen ait, hanc perfectionem in Deo tantum esse unam, nec multiplicari realiter in personis, vt autem haec conciliet inter se, advertit bonum dupliciter dici, primo quasi absolute, quod est perfectum, quia nihil ei deest, & hoc est bonum transcendentalis, cuius bonitas non est aliud, quam rei integritas, & non requirit distinctionem in re ab ipso bono, sed tantum rationis; alio modo dicitur bonum comparative quod alteri est convenientius, & sic bonitas consistit in convenientia unius ad aliud, requiritque distinctionem realem inter illos, vt bonitas realis sit, ideoque hoc bonum non necessario convertitur cum entis; ex quibus colligit, relationes divinas pertinere ad perfectionem transcendentalem Dei, quia pertinent, inquit, ad integritatem Dei, non enim esset Deus integre constitutus in sua substantia, nisi haberet intra se tres relationes; illae tamen vnam tantum integritatem Dei constituunt, & ideo ex illis tantum confurgit una perfectio Dei absque compositione, quia illa integritas est per summam identitatem cum essentia.

SVBSECTIO II.

Refutatur praecedens sententia.

Pater Franciscus Suarez efficacissime hanc 60 sententiam P. Vazq. refellit; primo quidem, quia nullus sanctorum Patrum, aut Theologorum ita loquutus est, quod argumentum in hac praeteritum materia validum est, praecipue vero contra adversarios, quia propter hoc solum, aut maxime nolunt admittere tres perfectiones relativae reales, quia Patres, vt ipsi aiunt, non sunt ita loquuti: secundo quia inde sequitur, Patrem per se sumptum non esse integre Deum; probatur sequela, quia tres relationes sunt de integritate Dei, & constituunt talem integritatem, & Pater non est tres relationes simul, nec tres relationes simul sunt de constitutione illius: ergo non est integer Deus, consequens autem est manifeste falsum; nam secundum fidem quaelibet persona est perfectus Deus, esse autem perfectum Deum, & esse integre Deum idem sunt, quia si integritas aliquomodo in Deo admitti debet, non est nisi perfectio eius, vt ipse P. Vasq. docet.

Virgeo amplius, quia negari non potest, quin 61 vnaquaeque persona suam habeat integritatem propriam, illo modo loquendi admissa, nam in primis vnaquaeque est integer Deus, vt dixi, quae integritas est communis: ergo vnaquaeque habet integritatem Dei; (sed haec non multiplicatur) praeterea vnaquaeque est integra persona, nec enim dici potest ex tribus personis integritatem divinae personae confurgere, nec negari potest, quin vnaquaeque persona sit integrum suppositum multo magis, quam sit quaelibet persona creata, quia vnaquaeque persona divina quatenus talis completa est ultimo in esse personae, non enim persona divina potest esse incompleta, quia incomplementum dicitur imperfectio; unde vnaquaeque persona sicut habet proprium complementum, ita habet propriam integritatem personalem; haec autem integritas personalis eo ipso quod personalis

K k k k k 2 est,

est, multiplicatur in divinis personis, quod significavit aperte Damascenus lib. 1. de fide, cap. 10. dicens, non ex tribus imperfectis vnam compositam naturam compositam intelligamus; sed in tribus personis perfectis vnam simplicem substantiam super perfectam, & ante perfectam, Et c. 1. r. perfectas inquit, ipsi hypostases, personasque dicimus, ubi expresse, & clare significat, & vnamquamque personam secundum se spectatam perfectam esse, & integram, & non posse ex personis, quatenus distinctæ sunt, vel quod idem est ex relationibus, ut tales sunt, & oppositionem inter se habent, vnam perfectionem consurgere.

61 Et patet facile descendendo ad rationes quasi specificas illarum personarum, quia Pater est integer Pater, & sic de Filio, & Spiritu Sancto; aliàs si Pater non esset integer Pater, deficeret sine dubio illi aliquid, quod ad complementum, & integritatem talis personæ requireretur; v.g. homo cui deficit brachium, aut caput etiam si per potentiam Dei absolutam viveret, (ut narratur in historijs de D. Dionysio Areopagita, vivente, & movente se sine capite) non diceretur in genere integrali, aut in compositione integrali integer, & completus homo, licet essentialiter sit homo, sicut v.g. anima D. Petri non dicitur integer Petrus, quia deficit aliquid ad integritatem essentialem requisitam, v.g. corpus, & vni; si autem nihil deficiat Paulo ex ijs, quæ ad integritatem illius pertinent, sine dubio Paulus perfectus, & integer homo dicitur: sed Pater æternus ita omnia habet, quæ ad integritatem, complementum, & perfectionem propriam requiruntur ad constituendum Patrem perfectum, ut nihil ex illis deficiat: ergo Pater est inter, & complete Pater, & sic de cæteris personis; si igitur transcendentalis bonitas, & perfectio nihil aliud sit, quam rei integritas, sicut multiplicantur integritates personales, ita & bonitates, aut perfectiones transcendentales relativæ; neque refert, quod hæ tres integritates personales in vna essentiali identificentur, quia non propterea confunduntur; sed inter se manent realiter distinctæ: si ergo multiplicationi illarum rerum, & entitatum relativarum non obstat, quod in vna entitate absoluta identificentur, eum obstat multiplicationi integritatum, seu bonitatum personarum quod in vna essentiali identificentur. Nam sicut ex tribus relationibus, seu personalitatibus, licet identificentur cum essentia, non consurgit vna relatio, aut personalitas; ita similiter propter talem identificationem non resultabit vna personalis, aut relativa perfectio: sed potius sicut non obstante identificatione cum essentia manent tres relationes realiter distinctæ, & vnaquæque est integra, & completa relatio, ita similiter talis identitas non potest esse ratio, ut resultet ex tribus perfectionibus relativis vna perfectio relativa; sed potius adhuc stante tali identitate cum essentia manent tres perfectiones relativæ, & vnaquæque est integra & completa perfectio relativa distincta ab alia, quia vnaquæque persona ad propriam integritatem non indiget alia persona; quocirca si velimus illo vocabulo integritatis uti, dicere possumus ex tribus personis consurgere integritatem Trinitatis, vel melius consurgere integritatem Dei, nec vnam integritatem personalem, quia non sola Trinitas, sed quælibet etiam persona est integer Deus, & vnaquæque est integra in esse

personæ; v.g. ex tribus Angelis resultat integer numerus ternarius, & nihilominus unusquisque Angelus est integer in ratione Angeli: ergo similiter licet tres relationes, & tres personæ constituent integritatem numerum ternarium, nihilominus vnaquæque relatio, & persona propterea distinguitur ab alia est integra, & completa in esse personæ, & relationis, ac proinde vnaquæque persona sub ratione personæ, & quatenus relativa persona est, erit perfecta formaliter, ac proinde relatio, ut relatio est, dicit perfectionem; sed dantur tres relationes, ergo tres perfectiones.

Dices, ideo contingere casum positum in An. 61 gelis, quia illæ bonitates sunt partiales, & non vniuntur per identitatem; sed per unionem, quod aliter contingit in tribus relationibus divinis.

Sed contra; nam hinc solum fit relativitas integritates personarum divinarum non esse partiales, quod est verissimum, non tamen esse distinctas, & totales in suo ordine, scilicet in ratione personali, imo Damascenus loco citato inde probat ex duabus divinis personis, ut distinctæ sunt, non posse vnam aliquam perfectionem componi, quia vnaquæque est per se, & totaliter subsistens: habet ergo vnaquæque suam totalitatem, integritatem, & perfectionem.

Et præterea licet in Trinitate non sit pars compositionis, nec pars quantitatis continua, tamen seclusa omni imperfectione, invenitur ibi quasi pars numeri, eo scilicet modo, quo numerus consideratur, ut quoddam totum, & unitas ut eius pars: ergo licet integritas personalis in se totalis sit, ut ita dicam, potest esse quasi partialis comparata ad numerum, seu multitudinem: ergo hoc non obstat, quominus illæ perfectiones relativæ, & personales plures sint realiter inter se distinctæ.

Tandem declaratur hæc difficultas, quia si relationes sunt de integritate Dei, inquiri an hæc integritas dicat in Deo vnam aliquam perfectionem simplicem vel compositam? hoc posterius non dicitur, cum sit contra simplicitatem Dei, & ideo dixit Damascenus ubi supra, perfectas hypostases, personasque dicimus, ut nullam divinam naturam compositionem dicamus. Si vero dicatur prius, inquiri rursus, an illa perfectio sit absoluta, vel relativa: nihil enim est in Deo, quod sub altero istorum membrorum non comprehendatur, ut constat ex doctrina omnium Patrum, & Theologorum, probata in Concilio Florentino; si ergo illa perfectio est absoluta, non potest formaliter includere tres relationes, aut ex illis integrari, quia omne absolutum commune est, relationes autem non sunt communes, multo vero minus divini: potest respectiva, quia omnis perfectio relativa habet oppositionem cum alia, & ideo non potest simplex relativa perfectio ex relationibus oppositis integrari: ergo nulla intelligi potest in Deo vna, & simplex perfectio, vel integritas, quæ ex tribus relationibus consurgat.

Dices, perfectionem illam, quæ integritas est Dei dicitur, nec absolutam tantum, nec tantum relativam esse; sed comprehendere utramque.

Sed hæc evasio non satisfacit; sed confundit omnia, ut difficultatem effugere videatur, quia hic non agimus de essentiali perfectione Dei: sed de personali, & de illa, quam relationes divine nostro modo intelligendi addunt ultra perfectionem essentialem, quam esse ratione distinctam ab essentiali

Quaest. VIII. Vtrum relatio sit modus, &c. 823

essentiali perfectione etiam auctores, cum quibus disputamus, supponunt: illa ergo perfectio ex solis relationibus, ut sic consurgit: ergo relatio tantum debet concipi, & non mixta, & praeterea licet demus esse simul absolutam, & respectivam, cum includat in se tres relationes realiter distinctas, non potest habere unitatem perfectionis, nisi per modum collectionis, & numeri, esto non sit per modum compositionis. Probatur assumptum, quia in illa perfectione includitur verus transcendentalis numerus rerum; ex numero autem rerum distinctarum, ut tales sunt non conficitur unum, nisi vel compositione, vel collectione, vel omnino per accidens; dico autem ut tales sunt, quia persona divina ut sunt unum in essentia, non ununtur in perfectione personali, sed in essentiali tantum. Absurdum autem videtur dicere, integritatem Dei ut sic collectivam esse, & non omnino simplicem, & indivisam. Accedit tandem quod illa integritas dicitur esse perfectio simpliciter simplex: unde sequitur, cuilibet personae divinae sigillatim sumptae deesse aliquam perfectionem simpliciter simplicem, quia nulla earum habet illam integritatem: nulla ergo illarum erit summe perfecta.

69 Tandem videtur, quia multiplicato gradu inferiori, debet multiplicari gradus superior: sed in tribus relationibus multiplicatur realiter ratio relativa, quae est inferior respectu entis ut sic: ergo multiplicatur in talibus relationibus ratio entis ut sic; sed non potest multiplicari gradus entis, quin multiplicetur attributum illius: atqui attributum entis est bonitas: ergo in tribus relationibus multiplicatur bonitas, ac proinde tres relationes erunt tres bonitates, & perfectiones.



QUESTIO VIII.

Vtrum relatio sit modus, vel res.

SECTIO I.

Sententia adversaria ponitur, & probatur.

1 **H**ae quaestio maxime difficilis ab aliquibus iudicatur, & ideo longissime de illa agunt; nos autem brevissime tractabimus difficultatem illius, quia ex supradictis, & postea dicendis facile colligitur explicatio illius, circa quam est prima sententia asserens, relationem praedicamentalem nequaquam esse modum, sed potius rem simpliciter, eo modo, quo quantitas, & qualitas est res; eam tenet Sanchez in *dialectica* lib. 5. quaest. 38. 2. conclusionem, probat suam sententiam.

2 Primo auctoritate Divi Thomae p. 1. q. 28. art. 2. ad 2. ubi sic dicitur: ad secundum dicendum quod sicut in rebus creatis in illo quod dicitur relative, non solum est invenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum, ita in Deo; sed tamen aliter, & aliter; nam id quod invenitur in creatura praeter id quod continetur sub significatione nominis relativi est alia res, in Deo autem non est alia res, sed una, & eadem, ubi Divus Thomas dicit quod relativum, & absolutum sunt alia, & alia

res: ergo dicit quod sunt realiter distincta ut res distinguitur a re.

Secundo istae relationes creatae sunt accidentia essentialiter, quia ponuntur in praedicamento relationis, quod est praedicamentum accidentium relativorum, sed proprium accidentium est inesse: ergo haec accidentia relativa in sunt substantiis: ergo realiter tanquam res a re ab illis distinguuntur. Probatur consequentia, quia in esse accidentis, seu in existentia accidentis realiter distinguitur ab existentia substantiae, ut patet in Sacramento Eucharistiae, ubi manent accidentia in sua existentia, & non manet existentia substantiae vlllo modo.

Tertio essentia relationis est distincta ab essentia fundamenti: ergo inherencia accidentis relativi est distincta ab inherencia actuali accidentis absoluti, quia essentia correspondet existentiae, ut potentia proprio actui, & sicut potentiae sunt distinctae, & actus: ergo distinguuntur tanquam res a re; siquidem habent proprias essentias, & existentias realiter distinctas.

SECTIO II.

Nostra sententia ostenditur.

Conclusio: relatio creata est modus, & non res absoluta. Haec est communis inter Doctores, & expressa sententia Divi Thomae pluribus suis Doctrinae locis, ubi relationem modum asserit esse.

6 Probatur primo, quia modus, ut modus nullam habet potentialitatem respectu sui effectus formalis, & res potest habere saltem per potentiam Dei absolutam potentialitatem respectu illius, quia res v.g. quantitas in Eucharistia separatur ab omni subiecto, unde nullum tribuit effectum actu, sed solum in potentia: sed relatio nullam habet potentialitatem in reddendo suum effectum formalem adhuc Divinitus: ergo relatio ut relatio non est res, sed modus. Maior latissime probata manet in *metaphys.* disp. 1. proae. quaest. ult. concl. 2. & *disp. de subst.* quaest. vtrum illa sit modus, vel res. Minor sic probatur quia relatio est habitudo, seu respectus unius ad aliud essentialiter: ergo essentialiter petit ut sit inter unum, & alterum, ita ut nullo modo possit nec esse, nec intelligi sine uno, & altero inter quae sit, (quod adeo verum est, ut omnino impossibile iudicetur, omnibusque etiam adversariis dari paternitatem actualement in generante possibilem respectu possibili termini, quia necessario petit relatio actualis fundamentum actuale, & terminum actuale) sed alterum est terminus extrinsecus ad quem terminatur relatio, unum autem est fundamentum illius: sed fundamentum relationis est in quo intrinsece est relatio, & quod intrinsece afficit illa: ergo relatio actu existens non potest adhuc Divinitus esse sine actuali afficientia intrinseca unius extremi, quod est fundamentum: atqui impossibile est quod actu afficiat aliqua forma subiectum, sine eo quod actu tribuat suum effectum formalem: ergo impossibile est, ut relatio actu existens tribuat in potentia effectum formalem; sed necessario adhuc Divinitus actu illud tribuit, actuque constituit relatum ad terminum, & non in potentia, nam res non constituitur apta referri per relationem ut sic,

K k k k 3 sed